

& actiones Principum ac nationum, furores populorū considera, excute mores hominum, uitæq; rationem omnem expende. refer oculos ad origines & causas bellorum ciuiliū & externorum, quæ nullo adhuc cometa lucente excitata fuerunt, ac uix sunt tandem multis cladibus restincta, uel quæ adhuc ardent, & non nisi cū totius Christiani orbis exitio, si nobis Deus non adfuerit, deflagrabit. Hæc qui secum reputet, uidebit certe nullo negotio longe aliam & initiū, & progressionis & exitus tantorum malorum esse causam, quam fumosos istos cometarum genitores terræ halitus, & leuem istā humoris biliosi, aut spiritus, aut sanguinis exæstuationē. Magnis plerunq; consilijs, neq; ita temere, ut in umbra & puluere Mathematico ociose desidentes sibi somniant, & suscipiuntur bella, & geruntur: neque furor ibi magis, quàm ratio & prudentia imperat: præsertim ubi graues multoq; usu rerum pollentes Senatores consilia sua conferunt. Neque omnes qui arma tractant, neque Principes omnes, qui bella gerunt, ita biliosi sunt natura: & si sint aliqui, non ita magna bilis est copia, quin tēporis progressu, in magno belli apparatu deferescat. Et sane quantumuis magnam bilis uim minore labore, atque impensis, adde etiam periculis detrahet quiuis, quàm ut necessarium sit ad arma concurrere. Sed non possum hîc præterire ea, quæ scite admodum in eandē sententiam Erastus scribit. Quam felices, inquit, essent mortales, si à bile duntaxat in Principum corporibus coaceruata, bella omnia orirentur. Pauculo enim rhabbaro, aut rosarum succo totam hanc pestem extinguere posset prudens Medicus. Sic & ab hominum ceruicibus tantum periculum auerteretur, & immensis pariter sumptibus parceretur. Addo ego: non omnes sua sponte, ac uolentes, arma corripunt. non pauci, inuitissimi, suam aut dignitatem, aut ditionem propugnare coguntur. Id fere nobis, ne longius exempla arcessantur, cum Turcis usu uenit. Quod si Cometes belli causa est,

Y

cur